



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Benedictio ad quodvis comestibile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

Deinde herbæ thunificentur, aspergantur aqua benedicta & distribuuntur.

Benedictio Ignis in Sabbatho sancto.

Dicta nona extinguuntur omnia lumina & lampades in Ecclesia, & Sacerdos indutus amictu, alba Cingulo Stola & pluviali Violacei coloris astantibus sibi ministris cum cruce, aqua benedicta, & incenso, extra Ecclesiam benedicit novum ignem excussum è filice dicens.

Y. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui per filium tuum, angularem scilicet lapidem claritatis tuæ ignem fidelibus contulisti: productum è filice, nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sancti **†** fica: & concede nobis, ita per hæc festa paschalia cœlestibus desideriis inflammari: ut ad perpetuæ claritatis, puris mentibus valeamus festa pertingere. Per eundem Christum D. nostrum. *R.* Amen.

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, qui es conditor omnium luminum: bene**†** dic hoc lumen, quod à te sanctificatum & benedictum est, qui illuminasti omnem mundum: ut ab eo lumine accendantur atq; illuminentur igne claritatis tuæ: & sicut illuminasti Moysen exeuntem de Ægypto, ita illumines corda & sensus nostros, ut ad vitam & lucem æternam pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: benedicientibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & unigeniti filii tui Dei ac Domini nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti, cooperari digneris. Et adjuva nos contra ignita tela inimici, & illustra gratia cœlesti, simulq; ab omni læsione ignis nos & omnia nostra tuere. Qui vivis & regnas cum eodem unigenito tuo & Spiritu sancto Deus per &c. Amen.

Deinde benedicit 5. incensi grana ponenda in cereo dicens.

Veniat, quæsumus, omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuæ benedictionis **†** infusio: Et hunc nocturnum splendorem invisibilis regeneratores accende: ut non solum Sacrificium quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admixtione refulgeat: sed in quocunq; loco ex hujus sanctificationis mysterio aliquid fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia virtus tuæ majestatis assistat. Per Jesum &c. Amen.

Cætera ex Missali suppleantur.

Benedictio ad quodcunque comestibil.

Y. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit &c.

Y. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano: Et præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen. Dein

Dein aspergat aqua benedicta.

Benedictio Vini in festo S. Joannis Evangelistæ.

✠. Adjutorium nostrum &c. *R.* Qui fecit cœlum & terram.
✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui te vitem veram, & Apostolos tuos palmites appellari, deq; omnibus te diligentibus vineam electam plantare voluisti, bene \dagger dic hoc vinum, eiq; virtutem tuæ bene \dagger dictionis infunde, ut quicumque ob honorem & memoriam dilectissimi discipuli tui Joannis, cujus hodiernâ festiuitate lætamur, ex eo sumpserint, vel biberint, morbis & venenis pestiferis effugatis optatam sanitatem, atque salutem corporis & animæ consequantur. Qui vivis &c.

Oremus.

Deus qui humano generi panem in cibum, & vinum in potum procreasti, ut panis corpus confortaret, & vinum cor hominis lætificaret: quique beato Joanni discipulo tuo tantam gratiam contulisti, ut non solum ab haustu veneni illæsus evaderet, sed etiam in tua virtute veneno prostratos à morte resuscitaret, præsta omnibus hoc vinum bibentibus, ut spiritualem cordis lætitiâ, & vitam æternam consequi mereantur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa \dagger tris & Fi \dagger lii, & Spiritus \dagger sancti, descendat super hanc creaturam vini, ut sit omnibus ex ea fumentibus remedium contra periculum corporis & animæ, & præguustatio ad vitam æternam. *R.* Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

Benedictiones peregrinorum ante & post reditum, sicut & olei simplicis: & illas, quæ Episcopos tantum concernunt, studio omisimus. Quodsi potestatem quis habeat eas usurpandi, in Missali vel rituali Romano requirat.

DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONIO.

Sacerdos, seu quisvis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, eâ, quâ par est pietate, prudentiâ, & vitæ integritate præditus sit: qui non suâ, sed divinâ fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter & humiliter exequatur. Hunc præter eâ maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiâ morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere rectè fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quæ brevitate gratia hoc loco præmittuntur, ex probatis authoribus & ex usu nosse studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligentè observabit.

In primis, ne facilè credat, aliquem à dæmonio obsessum esse; sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui, vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia & occulta patefacere; vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere; & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum aut alterum exorcismum interroget ob-